

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 44217/10 CG

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

Incid.: Querelae nullitatis adversus Decretum Rotale diei 16 octobris 2009

DECRETUM

In causa, de qua supra, Cl.mus D.nus X die 14 februarii 2002 supplicem libellum obtulit Tribunali Regionali N, nullitatis accusans matrimonium suum, die 10 decembris 1994 cum D.na Y celebratum. Decreto diei 16 octobris 2009 Turnus rotalis coram Rev.mo [...] sententiam affirmativam a Tribunali Ecclesiastico Regionali N die 12 decembris 2008 ob exclusionem boni sacramenti ex parte viri actoris latam ad normam can. 1682, §2 continenter confirmavit.

Decreto die 15 martii 2010 publicato, Cl.mus mulieris conventae Patronus die 5 iulii 2010 ad H.S.T. provocavit, variis cum adnexis probationibus, proponens querelam nullitatis insanabilis ob denegatum ius defensionis (cf. cann. 1620, 7º) simul cum querela nullitatis sanabilis ob assertum defectum motivationis (cf. can. 1622, 2º) adversus decretum ratihabitionis a Rotae Romanae Tribunali latum necnon, subordinate, petens novum causae examen (cf. can. 1644, §1) et interdum suspensionem executionis duplicis decisionis affirmativae.

Re rite discussa inter Cl.mos partium Patronos, Rev.dum Defensorem vinculi deputatum et Rev.mum Promotorem Iustitiae deputatum,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod “nullitas sententiae est res iuridice odiosa: cum leges quae nullitatem secumferunt strictae subsint interpretationi, etiam in casu stricte sunt applicandae” (Sententia definitiva coram Agustoni diei 12 martii 1994, prot. n. 23031/92B CG, n. 14);

Quoad querelam nullitatis perpenso quod:

- Ipse Cl.mus mulieris conventae Patronus in restrictu responsionis diei 6 novembris 2008 admittit se permultas probationes iam in primo iurisdictionis gradu exhibuisse;

- Haudquaquam moderatio iuris defensionis, speciatim ad vitandam nimiam moram ex parte iudicum primi gradus adhibita, sed tantummodo denegatio iuris defensionis nullitatem pronuntiationis secumfert;

- Adhuc minus sermo fieri potest de iure defensionis denegato, si iudicibus in gradu appellationis omnes probationes praesto sint vel saltem ab iisdem exemplar authenticum peti possit;

- ad appellationem, minime autem ad querelam nullitatis, pertinet quaestio de accurata ponderatione omnium probationum in actis receptarum.

Relate ad assertam nullitatem sanabilem ob defectum motivationis (cf. can. 1622, 2°) animadverso quod ea iuxta communem iurisprudentiam tantummodo defectum rationum, non assertam eorum insufficientiam relate ad argumenta a partibus proposita respicit;

Attento quod reiecta querela nullitatis deest etiam ratio ad suspensionem concedendam.

Perspecto relate ad novam causae propositionem quod «Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal cognoscit recursus in causis de statu personarum, quas ad novum examen Rota Romana admittere renuit» (can. 1445, §1, 2°);

Vi art. 41, §1 *Legis propriae* H.S.T.;

Re sedulo perpensa, in Congressu coram infrascripto Praefecto die 27 maii 2011 habito,

decrevit:

1. Propositam querelam nullitatis esse reiciendam et facto reici, ideoque ad disceputationem coram Em.mis et Exc.mis H.S.T. Iudicibus non esse admittendam et facto non admitti;

2. Petitam exsecutionis suspensionem non proponi.

Integrae expensae huius iudicii exstant summa 2550 Euro; retinetur proinde cautio in arca H.S.T. deposita, cui addenda est a parte conventa summa 1000 Euro. Partes suo quaeque Patrono congruum solvant honorarium.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Adversus hoc decretum datur recursus ad Collegium intra terminum peremptorium decem dierum ad normam art. 42 H.S.T. *Legis propriae* proponendus.

Et notificetur iis quorum interest ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 27 maii 2011.

Raimundus Leo Card. BURKE, *Praefectus*

+ Franciscus DANEELS, o.praem., *Secretarius*